

I. N. J. R. N. 14

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

Exhibens

NONNULLA THEOREMATA

MISCELLANEA,

Quam

*Nuta & Approb. Ampl. Facult. Phil.*

*In Regio Lyceo Aboico*

SUB PRÆSIDIO

*Viri Praclarissimi atq; Excellentissimi*

DN. M. PETRI HAHN,

Scientiæ Natur. Prof. Ord. celeberrimi,  
Præceptoris & Promotoris sui quovis ob-  
servantiæ cultu perpetim colendi;

*Publico examini modestè submittit*

JONAS L. GRUNBERGII

*Smol. S. R. M. Alumn.*

Ad diem 6. Maji Anni M. DC. LXXXV.

*In Auditorio Maximo,*

*horis antemeridianis.*

ABOÆ,

Impr. apud JON. L. WALLIUM, A. T.

*H. C. J. Fogelberg*

*Amplissimo atq; Consultissimo; Prudentia insti-  
gniter Conspicuis Dominis & Viris.*

DN. JOHANNI Rostamp/ Judici Terri-  
toriali accuratis. & æquiss. Mæcenati, & Pro-  
motori suo humiliter devenerando.

DN. OLAO Dahlstedm// sub Chiliarcha  
Barone BERN Otto von Siemen/ regiminis  
Secretario expeditiss. Faut. suo plurimum  
honorando.

DN. MATTHIÆ OLAI, Regiminis, Chili-  
archæ Bar. JOHANNI HENRICO Rebindert/  
demandati, Secretario attentissimo, bene-  
factori suo multum colendo.

DN. JOHANNI Marten/ Negotiatori ac  
Civi Aboico perindustrio, fautori & amico  
suo perquam honorando.

DN. GABRIELI MILTOPÆO, Negotia-  
tori in dicta civitate Ab. indefesso, Fauto-  
ri & amico fideliter colendo.

DN. ANDRÆ Zohrn/ Turmarum scribæ  
perassiduo, amico & contubernali suo fi-  
delissimo.

**M**unus hoc chartaceum, qualecundq; sit, meo  
tamen judicio, loco speciminis conscriptū,  
Vobis, Promotoribus fautoribus & benefacto-  
ribus, solitā vestrā benevolentiam fretus, De-  
dicare & offerre, non dubitavi, qui ad Ci-  
neres usq; Tuæ amplitudinis, nominumq; ve-  
strorum, sum maneog;

Humilimus & fidelis æstimator

J. L. G. A. & R.

## I. THEOREMA.

Hominem quodammodo Naturâ Philo-  
sophum esse dicimus.

**P**hilosophiæ existentiam : &  
naturæ πολυσημίαο multis nunc  
comprobare atque explanare, ve-  
rant, cum institutum nostrum, tum  
angustia temporis : Illam enim  
prolixè satis contra ignorantiaē fra-  
tres æquè luculenter dari, ac oeu-  
lum mundi Solem, rationibus &  
argumentis satis firmis acerrimi re-  
mōstrarunt philosophi. Hanc verò  
in campo philosoph. scrutinio haud  
minori, ad suas acceptiones nunc  
generaliores, nunc strictiores nūc  
& proprias deducunt & applicant.  
Nos verò omissis titulis, præter, cō-  
tra & supra naturam, imò & aliis in-  
stituto nostro non interservientibus,

propositum Theorema distinctè  
accipimus, illud duplici nimirum  
modo affirmando. 1. Dum naturâ  
inesse, idem est ac naturalis incli-  
natio, unde & *in Phi* facilitas ad pri-  
mò operandum, non verò talis  
quæ ab habitu & eius superindu-  
ctione provenit, sed quæ à naturâ  
insita est: Hinc ab ipsa infantia ho-  
mines reperimus procliviores &  
propensiores ad hoc vel illud stu-  
dium sive exercitium quam ad a-  
liud. 2. Pro potentiâ & quoad in-  
hætionis semina: sic Lex naturæ  
imò & tota Philosophia inchoati-  
vè scilicet, & ad actum pri-  
mum homini inest, nam posito a-  
ctu primo, non continuò infertur  
secundus, & negato actu secundo,  
non statim negandus est actus pri-  
mus, Hinc quidam homines, vel

in obscuro nati perq̄; omnem vitæ tractum literarum ignari, haud ineptè tamen de rebus judicant; atq̄; sic animantia bruta nobilitate antevertunt, hoc in sensu Arist. dixit: πᾶς ἀνθρώπος ζῶει λογικόν ἐσι. Hæc q̄; potentia naturalis ratione originis insuper prima dicitur, quæ proxime à natura subjecti fluit & est immutabilis atqve à subjecto, quamdiu illud superest, inseparabilis, ut potentia sentiendi ab anima sentiente, potentia intelligendi, volendi, ridendi & loqvendi ab anima rationali, & hæc potentia est, per quam secunda in actum deducitur. Per semina autem intelligimus notitias sive principia nobiscum nota, atqve à natura inscripta, eaque non *Essendi*, quæ Metaphysicæ sunt considerationis



quæque ibi generaliter, non specia-  
liter accipiuntur, pro omni eo quod  
alteri dat esse; sic hominis prin-  
cipia Essendi sunt Deus, Sol, pa-  
rentes, materia & forma, alimen-  
tum &c. vid. From. sed cogno-  
scendi & complexa, quæ sunt pro-  
positiones integræ & enuuciation-  
es, ex quibus tanquam notiori  
dependent conclusiones universa-  
les absque altiori rationis & intel-  
lectus indagine sive exercitio de  
circumstantiis antecedentibus &  
consequentibus; *ut impossibile est idem es-  
se & non esse Quodlibet est vel non est. Totum  
est Major sua parte. Bis duo sunt quatuor.  
Deus colendus. Parentes sunt honorandi.  
Suum cuiq; tribuendum. Nemini nocendum.  
Honestè vivendum.* Hæc autem no-  
ticias sive principia, uno nomi-  
ne semina vocamus. Hinc facie  
le dispalescit Theorema esse ne-  
gan-

gandum, quando pro *Esse completo* sive habitu philosophico acquisito, accipitur, qui non nisi sudore magno & exercitatione assidua, acquiritur. Et ad hunc consequendum, tria præcipuè requiruntur, utpote 1. *Φύσις*, id est *Natura* seu naturalis inclinatio, juxta illud Poëtæ: *Tu nihil invitâ dices faciesve Minervâ.* 2. *Μάθησις* id est disciplina seu sedula præceptorum institutio, sine quâ naturalis illa inclinatio ut plurimum est frustranea. 3. *Ἀσκησις*, id est exercitatio jugis & continua, vid. Flach. coll. Log. proœm. pag. 165.

## II. THEOREMA

*Philosophia* est magnum maximi Dei donum est rectè dividitur in *Theoreticam* est *Practicam*.

Cum propositio sit bimembris,  
pri-

prima nostra cura erit, contra san-  
næ Philosophiæ fugillatores, osten-  
dere eam non esse inventum hu-  
manum, ut glossitant, in Ethnico-  
rum cerebellis primò excogita-  
tum, sed singulare donum super-  
nè à totius hujus universi condi-  
tore originem traxisse, idque pro-  
bant tum scriptura sacra, tum ex-  
perientia. Argumentamur autem  
sicut omne bonum perfectum est  
ab ipso Deo, Philosophia sana bona  
est & perfecta; ergo est ab ipso Deo.  
Connexio minor: probatur Gen. 2,  
20. ubi legitur, tantam sapientiam  
Protoplasto nostro collatam fuisse;  
ut non solum Deum ipsum per-  
fecte noverit, sed & cuncta ani-  
mantia & universa volatilia cœli  
& omnes bestias terræ nominibus  
suis sine errore appellaverit, quæ  
sapien-



sapientia nihil aliud erat quam ipsa Dei imago, qua cum creatus erat homo, quæq; consistebat in summa integritate cum *Intellectus*, quo rerum omnium divinarum humanarūq; cognitionem habuit perfectam, tum *Voluntatis*, quæ cunctis suis viribus Deo obedire legiqve ejus perfecte satisfacere potuit: Unde Adamum omnium perfectissimū & absolutissimum salutamus Philosophum. Hinc Paul. Rom. 1. 25. Philosophiam ἀλήθειαν τῆ θεῶ vocat. Probationis exemplum haud vulgare habemus quoq; in Rege Salomone lib. 3. Reg. cap. 4. v. 29. & seqq. ubi exstat quod Deus dedit Salomoni sapientiam & prudentiam nimis multā, & latitudinē cordis, quasi arenam, quæ est in litore ma-

is, & præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium orientalium & Ægyptiorum & erat sapientior cunctis hominibus. Alibi etiam Salomon Sap. 7. de seipso loquitur & hunc in modum dicit: Ipse in cujus manu sunt sapientia omnis & sermones nostri, dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum & virtutes elementorum, vicissitudines temporum, naturam animantium; & sapientiam in qua est Spiritus intelligentiæ, omnium artifex me docuit &c. Alios quoque magni nominis philosophos, non solum temporibus antiquioribus, verum & seculis hisce nostris extitisse constat, quod ingens donum non temere & casu illis accidisse, sed ipsū Deum imaginis

nis

nis suæ divinæ scintillulas in iis sub  
cinere quasi latentes, resuscitasse  
patet. Assertio insuper hæc nostra  
indè quoq; verificatur, quod Theo-  
logiæ Philosophia sana non con-  
trarietur; Theologus enim contra-  
dicentium in religione & articulis  
fidei, præcipuè quando de Theo-  
logia Elenctica sermo est, Stro-  
phas excipere & ritè eorum argu-  
menta solvere absq; terminis Phi-  
losophicis expedire haud potest,  
hinc tamen non concludimus phi-  
losophiam Theologiæ dominari;  
sed piè & fideliter & famulari &  
ancillari. Errant igitur multum  
nimis, qui dicunt Philosophiam  
esse nudum Ethnicorù inventù, &  
quia omnis homo dicitur mendax  
ideoq; ratione sua quasi arguit De-  
um mendacij; quod tamen est

ἄλογον & ἄτακτον. Cum iam evidenter satis probatum sit Philosophiam esse singulare quoddam Dei donum; ad alterum propositionis Membrum nunc properamus, ubi diximus Philosophiam rectè dividi in Theoreticam & Practicam, circa quam Philosophiæ divisionē duo præcipue notamus 1. Quod Philosophiā nunc non accipimus, in tanta latitudine, prout includat Juris prudentiā & Medicinam, quæ etiam magnum maximi Dei donum sunt & Philosophiæ nomine ἀνὰ πλάγιον veniunt atq; circa cognoscibile naturale liberale occupantur sed quia id non immediate sed mediate, mediantibus scilicet disciplinis aliis, quibus subordinantur & suam debent originem, faciunt, secundum illud: ubi desinit Ethicus

cus

cus, incipit ictus. Ubi desinit phy-  
sicus incipit Medicus. Illas igitur  
divisionis hujus scopus non ad-  
mittit. II. Quod vocem *πραξις*  
cum Peripateticis non adeo strictè  
sed paululum latius nunc intelli-  
mus, ita ut sub practica includan-  
tur disciplinæ & activæ & factivæ.  
quibus observatis divisionem esse  
genuinam asserimus. Quid au-  
tem utraqve sit philosophia tum  
Theoretica tum Practica, multis  
nunc non diducimus, cum enim  
notum sit res quasvis esse & fieri  
vel extra arbitrium nostrum vel  
secundum illud. Illæ sunt res ne-  
cessariæ & contemplabiles, quas  
pro obiecto suo agnoscit Philoso-  
phia Theoretica, easque intelle-  
ctus noster tam diu contemplari  
allaborat, donec mentis tenebris  
discul-



discussis, in cognitionem veri Per-  
ducitur. Hæ autem sunt res con-  
tingentes, quas pro objecto sibi  
vendicat Philosophia Practica, quæ  
ut fiant nec ne in arbitrio nostro  
positum est. Nobis itaque valde  
incumbit, ut actionum nostrarum  
finis ad rectæ rationis normam  
sanique intellectus dictamen hone-  
ste instituat, dirigaturque quo  
pravitates, quibus inquinati sumus  
expurgentur nostraque instituta  
rite Procedant.

### III. THEOREMA.

*Agentia quævis cognitione propria su-  
os cognoscere fines asserimus.*

**A**ntequam ad Theorematis in-  
teriora penetramus notandum  
est, finem nunc non in summa  
suâ latitudine accipi, prout in Me-  
taphysica definitur, quod sit causa,  
cujus

cujus gratia res est, sed paulo strictius  
ad ea tantum, quæ naturaliter a-  
gendo suos cognoscunt fines, quæ  
dum limatius pervolvimus, varias,  
varios hac de re tulisse opiniones,  
quas singulas nunc excipere & ad  
rei institutum explicare, angustia  
temporis nos prohibet; contenti  
igitur sumus nervum Theorema-  
tis paucis indigitare, ille quo car-  
dine vertitur, facile dispalescit, o-  
mnium sententiarum divortia ad  
tres præcipue classes, si redigamus:  
quarum prima & quidem commu-  
nis eorum est, qui dicunt natura-  
liter agentia ratione ac sensu desti-  
tuta omni finis cognitione carere,  
ideoque nullo modo, cognitione  
propria finem intendere. Secunda  
eorum est, qui concedunt quidem  
agentia, quæ omnis finis notitiâ  
pror-

prorsus carent, propter finem ad  
gere, sed non nisi coadiutorio cau-  
sæ superioris & excellentioris, hoc  
est, ipsius Dei; undè sic concludunt.  
Opus naturæ est opus intelligentiæ,  
quod sic explicant: Natura dum  
in opus allaborare nitiur tunc mo-  
vetur ab intelligentia prima, hoc  
est ab ipso Deo, qui cum naturali-  
ter agentibus ita concurrit, ut iis, in  
producendis naturæ operibus, tan-  
quam instrumentis utatur. Hinc  
Hippocrates, quem Galenus & alij  
secuti sunt, naturam vocat mo-  
do indoctam, quando scilicet a  
causa superiori non regitur, modo  
doctam & expeditam, quando  
eam in agendo movet causa su-  
perior. Tertia eorum est opinio,  
qui admittunt quidem causæ ge-  
neralissimæ concursum, quæ cum  
forti.

fortibus fortiter agit, necessarijs necessario, contingentibus contingenter; ita tamen ut ne ab agentibus naturaliter propria actionis in finem intentio auferatur, quam etiam nos, omissis tanquam erroneis superioribus approbamus, eamque verissimam hoc unico argumento stabilimus: Si agentia quævis instinctu naturæ in certum finem agunt, faciunt id vel ut se habeant ad causam proximam, hoc est, cognitionem finis in agendo propriam, vel ut se habeant ad causam remotam, hoc est alienam: at nunquam possunt respectu causæ remotæ hoc est alienæ in finem intentione agere, sic enim naturaliter agerent coactè, quod est absurdum, ergo cognitione finis propriam agunt. Major est extra controversiam, nam Deus primitus vim naturæ agendi indidit immediatè, quam adhuc conservando gubernat: postea verò ad naturaliter agentia se habet concursus Divinus mediatè, mediantè scilicet causa proxima, hoc est cognitione finis propriam, nisi extra naturali quodam exemplo supra naturam esset, quod tamen sine ulla causarum

secundarum iusta ac repugnancia fit.  
ut Exod, 17. aqua de petra effluxit. Sol  
stetit integrum diem, hinc et. non se-  
quitur, quod Deus & natura sunt op-  
posita, sed sunt subordinata, Deus enim  
& natura nihil faciunt frustra. Ille su-  
pra hanc, hæc infra ipsum. Minor quo-  
quæ suis fulcitur rationibus; haud diffi-  
cilter enim probatur assertio nostra ab  
industria quorundam animalculorum,  
quæ statas temporum vices non modo  
observant sed & ob certum finem a-  
gunt adeò mirificè, ut stuporem spe-  
ctantibus haud exiguum incuriant, undè  
luculèter patet quod hæc animalia omni  
ratione destituta tam prudenter & an-  
xiè in laborem non incumberent, si fi-  
nis cognitione propria non ferrentur,  
*ignoti enim nulla cupido.* Concludimus ita-  
quæ cum Clarissimo Sperl, cuncta agen-  
tia non modo ratione ac sensibus de-  
stituta sed & iis gaudencia suos cogno-  
scere fines. Profiliunt quidam oggani-  
entes falsis hypothèsibus stipati, sed illis  
nostram assertionem non infringunt,  
recurrimus n. ad triplicem cognitio-  
nem,



nem, quâ in finem agentia feruntur: agunt enim vel cognitione 1. naturali, quâ agentia suos sub ratione boni cognoscunt fines solius naturæ aut formæ instinctu, sine sensu sine intellectu. Sic plantæ quævis, pyra, poma & alia fructuum genera infinita dotibus egregiis prædita, non beneficio sensuum, nec rationis, sed solius naturæ, finem intendunt; Huc referenda quædam animalia sensibus planè non carentia, opera verò eorum non sensui sed naturæ, ut plurimum, adscribenda: sic formicæ quæ nunquam sæpè sensere hyemem, hyeme fame ne pereant, grana in æstate colligunt. Aranæ norunt, quomodo forment tela, & quonam in loco ponant. Hæc naturæ opera, phantasiæ qui adscribunt, castigantur à Sperlingio, phantasia enim sensus est.

2. datur cognitio sensualis, per quam agentia finem sub ratione boni cognoscunt, & sola naturâ seu formâ per sensus inter objecta secernere possunt: sic bona quæ sunt, appetunt, mala autem averfantur. 3. Est cognitio, Intellectua.

lectualis, prioribus multò excellentior,  
 quàm finis sub ratione boni à natura seu  
 forma per intellectum non modo co-  
 gnoscitur, sed etiam ratio mediorem  
 ad hunc finem obtinendum conducen-  
 tium habetur: sic quævis actio civilis,  
 modo ejus consequatur optatus finis in-  
 stituenda est per ordinaria media, alias  
 verò frustra laboratur. Triplicem hanc  
 cognitionem, triplex sequitur appeti-  
 tus, naturalem naturalis, sensualem  
 sensitivus, intellectualem rationalis &  
 sic quævis res suum cognoscendi mo-  
 dum habet.

#### IV. THEOREMA.

*Actiones qui dicunt dependere à personatant-  
 tum, non verò à natura nimis errant.*

**Q**ui dicunt personas in divinis causas  
 socias esse creationis, id necessario  
 statuunt actiones dependere à persona  
 non verò à natura, ut fecit Goclenius &  
 nonnulli alij, sed præter rationes quibus  
 refutati sunt hi, in collegio Log. Adm.  
 Rev. Flachl. pag. 315. argumentamur sic:  
 Si actiones numerentur ad numerum  
 personarum, sequeretur tot esse in divi-

nis  
*causis socias sunt potentiam  
 diversarum, ut: duo equi  
 trahunt unum curram.*

nis naturas quot personas: at falsum  
est consequens erg. & antecedens. Con-  
nexio Min. prob. à Dithm. nam cujusq;  
naturæ actiones, aut sunt personales, aut  
præter naturales, aut naturales. Si per-  
sonales, erg. tot essent actiones in divi-  
nis quot personæ, quod hæreticorum  
est. Si præter naturales, erg. corrump-  
perent & destruerent naturam ipsam  
quod impium est. Erunt erg. natura-  
les, erg. unica actio est trium persona-  
rum in divinis quia natura una; erg. u-  
nicus creator & non tres, nisi plane  
sophisticè quis cum Goclenio id statueret  
voluerit. Regeri tamen hic potest per in-  
stantiam ita: si actiones non numeraren-  
tur ad numerum personarum, tum actio  
Dei patris ejusque character, esset Filii,  
filij autem Spiritus Sancti & vice versa.  
Sed nos respondemus, negando con-  
sequentiam, siquidem actiones Trinita-  
tis & characteres sunt signa tantum &  
notæ externæ, quibus a se invicem di-  
scernuntur, actiones tamen sunt omni-  
bus tribus personis communes, secun-  
dam regulam: Opera trinitatis ad ex-  
tra

era sunt indivisa. Et quamvis opus  
 creationis aliter a patre, aliter a Filio  
 aliter à Spiritu Sancto perficitur: hinc  
 tamen non sequitur actiones ad nume-  
 rum personarum numerari debere, quia  
 actus operandi in singulis personis non  
 tantum est *αὐτέσις* sed & in omnibus  
 tribus personis *ὁμοέσις*. Concludimus  
 itaq; cum eodem Dithm. actiones depen-  
 dere à persona tanquam a principio quod  
 completo & denominativo; à natura v.  
 depēdere formaliter & originaliter, nam  
 τὸ πράττειν simpliciter agere, facultatem  
 operandi, significat, quæ naturæ est: πῶς  
 πράττειν hoc vel illo modo agere, notat  
 actum operandi, qui dependet à persona.

## V. THEOREMA.

*Magistratus politicus, vel impius si  
 fuerit, à Deo est, Et ei obedienti-  
 am debent subditi.*

**R**epublicas, personis imperantibus  
 & obedientibus, constare ac dirigi,  
 nemo politicorum est qui dubitat, in-  
 ter quos agitata est quæstio: *An Ma-  
 gistra-*

istratus politicus, præcipuè qui extra legum  
mites (quibus tamen & ipse subiectus est)  
licentius in subditos grassatus fuerat à Deo  
sit & ei parendum? Negativam tuentur  
Anabaptistæ & non nisi affectatâ qua-  
dâ malitiâ dicunt, ordinationem  
Magistratum bonam & tolerabilem,  
non esse, propterea, quia ob magni-  
tudinem imperii fastuosi fiunt Magi-  
stratus politici; indè pro suâ licentia  
crudeliter tyrannidem in subditos sæ-  
pè exercent, & ad suam probandam,  
sententiam nonnulla allegant sacræ  
scripturæ dicta, utpote 1. Sam. 8:7. Hof.  
13. v. 11. Concludunt hinc falsa qua-  
dam hypothesis, quod ubi Magistratus  
politicus sit, ubi rejicitur Deus ne re-  
gnat. Nos verò affirmativam defen-  
dimus, idq; dictis scripturæ. Deut. 16.  
v. 18. Rom. 13. 1. Omnis anima pote-  
statibus supereminentibus subdita sit.  
Non enim est potestas nisi à Deo. Quæ  
autem sunt potestates, à Deo ordina-  
tæ sunt, hinc sequitur quod qui potesta-  
ti se opponit, Dei ordinationi resistit,  
honor

very good. See in Comenius: Mirum utrum, vis, hoc hanc  
subditum: nobis. principis. hanc 13. 11.



honor itaque & Magistratui impio ha-  
bendus est, nisi extremè impia præce-  
perit; tum n. effatum Apostolorum. Act.  
5. v. 29. recordemur, quod magis Deo  
obedire oportet quam hominibus. nam  
quando Magistratum à Deo esse dicimus,  
tunc id asserimus quoad potesta-  
tem ipsam, non verò quoad abulum  
& adjunctam improbitatem. rationes al-  
ias, quibus adstruitur sententia nostra  
nunc adducere, non admittit angustias  
pagellarum, eas igitur συζυγίῃσιν  
publ. reservamus.

JESU LAUS GLORIAQ; SEMPITERNA.

